

7257 tabella longe ad cent. 10, lela ad cant. 9; litterae carminis minutae sunt et male factae. In ruinis aedis Veneris Erycinae rep. HAGER; in monte Eryce rep., est Trapani apud comitem Hernandez.

Monte S. Giuliano *pietra trovata l' a. 1616 in un muro che cascò, dove era edificato il tempio CORDICI; in domo Antonii Cordici GVALT.; Monte S. Giuliano in casa de s. (sic, voluit fortasse del signore) fragmento TARDIA.*

5  
 V S · VII · VIR · E  
 RI · ERVCINAE ·  
 SVLE · BELLA FELICEM · GLADIVM  
 IVS · HOSTIS APRONI · EFFIGIEM · I  
 HIC · IDEM · FVIT · HIC · I  
 PRAETEXTAE · POSITAI  
 SEPTEMVIR · PVER · HAN  
 CAESAR · QVAM · DEDERA  
 L · APRONIO

M  
 D  
 .. DVXQVE  
 LVCTOR  
 SVMPTAE  
 .OCARAT  
 .ICVI

DIVOR . . . . .  
 MVT . . . . .  
 FILIVS · APRONI MAIC  
 GAETVLAS · GENTES · Q . . .  
 EFFIGIEM · CARI GENITOR . . . 5  
 AENEADV M ALMA PAREN . . .  
 ARMAQVE · QVAE · GESSIT · SCVTO · C . . .  
 QVANTA PATET VIRTVS ENS . . . .  
 CAEDIBVS ATTRITVS CONSVMMATQVE . . .  
 QVA · CECIDIT · POSVI · BARBAR . . . 10  
 QVO · NIHIL · EST · VTRIQVE · MAGIS · VENER . . .  
 HOC · TIBI · SACRARVNT FILIVS ATQV . . .  
 CAESARIS · EFFIGIEM · POSVIT · PE . . .  
 CERTAVIT · PIETAS · SV . . . .

Descripsi a. 1878. Meminit tituli 'Apronii septemviri' I. Hager *Nachricht von einer literarischen Betrügerey* (1799) p. 40; descriptam diligenter tam a domino lapidis quam a Bardtio amico edidi primus ego ephem. epigr. 2 (1875) p. 264 adiecto commentario infra repetito. 4 extr. non fuit M.

Tria exempla extant de lapide quae videantur sumpta esse Gualteri n. 259 = 152 (inde Mur. 762, 3; Torremuzza XVIII, 55 = 56 ex Gualt. et Cordicio); Cordicii in utroque libro Coppolae et Panormitano f. 48; Tardiae cod. C 17. Burmann anthol. 4, 28; Meyer anthol. n. 1463.

Praescr. 2 d] s Cord. — I, 1 VDDVXQVE Gualt. 1. — 2 LICTOR Tard., IVCTOR Cord. (Pan.). — 3 QVMPTAE Gualt. 1, SVMPTAE Cord. (Copp.), ORIAPTAE Tard. — 4, 5 sic Gualt. 2, ICPT (om. v. 5) Gualt. 1, ECHI | OGARAT (versibus transpositis) Cord., OGAD..AT (om. v. 5) Tard. — II, 1 DIVOM Tard. — 2 MVTA Tard. — 3 MALO Cord., MAIO Tard. — 4 CAETVLAS Gualt. — GENTES CL Gualt. 1, GENTISQ Tard. — 5 GENITOR Tard., GENITO Cord. — 6 AENIADV M Tard. — PARENS Cord. — 7 QVAE Tard., om. Cord. (Copp.). — CESSIT Tard. — fin. C om. Gualt. Cord. — 8 ENS Gualt., EN Tard., IN Cord. — 9 sic Gualt. 2, ATTRITVS-CONSVMATQ Gualt. 1, ATTRIT..CONSVMMATO Cord., ATTRITVS CONSVMMAT Tard. — 10 POSVI (POSVIT ed. 2) BARBAR Gualt., ..NI..BARBA Cord., ...TNIT Tard. — 11 VTRIQVE secunda v deleta Tard. — VENE Tard. — 12 TIBI | IBI Tard. — ATQVE Cord., ATQ Tard. — 13 PE Gualt., om. Cord. Tard. — 14 SV Gualt., om. Cord. Tard.

Apronii nomen cum in priore fragmento bis legatur redeatque item in posteriore, praeterea dedicationem factam esse pateat propter Aproniorum duorum patris filique pugnam cum Gaetulis, iam quo pertineret, explicuit mihi Tacitus tertio annali (c. 21) enarrans bellum a L. Apronio proconsule Africae imperante Tiberio a. p. Chr. 20 gestum adversus Tacfarinatem ducem Numidarum Musulamiorum et finiens sic: (*Tacfarinas*) *postquam deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda stativis castris adhaerebat. Missu patris Apronius Caesianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam fecit pellitque in deserta.* Ita cum argu-

mentum carminum interviderem, ipsa Buechelero tramisi rogans, ut eorum restituendorum periculum faceret. Quod ita perfecit, ut spem quam habebam eventus longe superaret.

Fragmenta duo ita se exceperunt, ut quattuor carminum dedicationi olim subscriptorum, quorum reliquiae supersunt, prius habeat primi extrema, secundi principia, alterum secundi extrema et tertii quartique principia. Praeterea alia carmina olim a sinistra perscripta fuisse respondentia iis quae habemus ex reliquiarum dispositione colligitur. Totius monumenti formam hanc fere fuisse Buechelerius coniecit non improbabiler:

in ipso monumento cernebantur:

arma                      statua                      statua                      statua  
 patris                      imperatoris                      filii                      arma

in tabella monumento alicubi inhaerente:

desunt	<i>l. apronius l. f. caesian</i>	V S · VII · VIR ·	<i>epulonu</i>	M	
huius	<i>. . . . . uene</i>	RI · ERVCINAE ·	<i>d</i>	D	DIVOR
late-	deficit <i>a patre hic missus libyae procon</i>	SVLE · BELLA	FELICEM · GLADIVM	<i>tibi qui patrisque dicavit</i>	MVT
ris	epigramma <i>prospera dum pugnat cecidit maurus</i>	IVS HOSTIS	APRONI · EFFIGIEM	<i>natus belli duce</i>	sequuntur
epigram-			_____		versus
mata			_____		duo-
			_____		decim
			CAESAR QVAM DEDERA	<i>vestem tibi sancta reliquit</i>	
	curante		L · APRONIO		

[L. Apronius L. f. Caesian]us VII vir[epulonu]m  
 . . . . . [Vene]ri Erucinae [d.] d

## I.

[A patre hic missus Libyae procon]sule bella  
 [prospera dum pugnat, cecidit Maurus]ius hostis.

## II.

Felicem gladium [tibi qui patrisque dicavit]  
 Aproni effigiem, [natus belli duce] duoque  
 hic idem fuit: hic i[usto] certamine vi]ctor  
 praetextae positae [causa pariterque re]sumptae  
 5 septemvir puer han[c genitor quam rite r]o[g]a[r]at,  
 Caesar quam dederat, vestem tibi, sancta, rel[i]q[ui]t.

## III.

Divor[um] . . . .  
 mut[ua] . . . .  
 filius Aproni maio[r quam nomine factis]  
 Gaetulas gentes q[uod dedit ipse fugae],  
 5 effigiem cari genitor[is, diva, locavit],  
 Aeneadam alma paren[s, praemia iusta, tibi]  
 armaeque quae gessit: scuto [per vulnera fracto]  
 quanta patet virtus! ens[is ab hoste rubet]  
 caedibus attritus, consummatque [hasta tropaeum]  
 10 qua cecidit [f]os[s]u[s] barbar[us ora ferus].

## IV.

Quo nihil est utrique magis vener[abile signum],  
 hoc tibi sacrarunt filius atqu[e pater]:  
 Caesaris effigiem posuit p[ar cura duorum]:  
 certavit pietas, su[mma in utroque fuit].

[Curante] L. Apronio [L. l.] . . . . .

Ex Aproniis duobus, ad quos carmina pertinent, pater L. Apronius C. f. C. n. (nomen legitur plenum in fastis Capitolinis vol. 1 p. 442) primum nominatur propter fortem felicemque operam navatam in bello Delmatico a. p. C. 6—9 teste Velleio 2, 116: *celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus vir consularis* (fascis is gessit a. p. C. 5) *praepositus Delmatiae ornamenta meruit triumphalia . . . Postumi operum L. Apronius particeps illa quoque militia eos quos mox consecutus est honores excellenti virtute meruit.* Quo loco tum fuerit, non satis constat; videtur autem ob ea gesta ornatus esse consulatu, quem gessit secundo semestri a. p. C. 8. Deinde quo tempore Germanicus praefuit Gallis et Germanis, inter duces ei additos etiam Apronius fuit (Tacitus ann. 1, 56) obtinuitque propter res in Germania gestas a. 15 ornamenta triumphalia (Tacitus ann. 1, 72), ad quem honorem apparet Velleium quoque respicere loco supra laudato<sup>1)</sup>. In urbem reversus ante Septembrem a. 16<sup>2)</sup> mox pro consule Africae praefuit a. 18—20, qua de re fidem faciunt praeter Tacitum 3, 24 (vide supra). 4, 13 nummi municipiorum eius provinciae inscripti *permissu L. Aproni procos. III* (Müller num. de l'Afrique 2, 155) obtinuitque propter res in Africa gestas ornamenta triumphalia iterata statuamque laureatam (Tacitus ann. 4, 23). Romae commoratus per annos insequentes (Tacitus ann. 3, 64. 4, 13. 22) legatus Germaniae inferioris factus est a. 28 (Tacitus ann. 4, 73. 11, 19); nam eam legationem qui filio tribuunt eo tempore nondum consuli facta, graviter errant. Recte autem opinor ad eum rettulerunt viri docti titulum Mogontiacensem (Orell. 2976 = Brambach 937) mulieris cuiusdam civis Romanae *natione Nerviae immunis benefic(i)o* [L.] Aproni. Legationem Germaniae, in qua cladem a Frisiis accepit, eum protraxisse ad a. 34 non satis certo efficitur ex Taciti loco 6, 30: *Gaetulicus ea tempestate superioris Germaniae legiones curabat mirumque amorem adsecutus erat effusae clementiae, modicus severitate et proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus.* Lentulus Gaetulicus consul a. 26 cum per decem annos Germaniae superiori praefuisset, periit imperante Gaio a. 39 (Dio 59, 22). Sed quamquam eodem tem-

pore Tiberius socerum inferiori, generum superiori exercitui praefecisse videtur, ut nihil impedit ita nihil cogit ut utrumque ad mortem usque Tiberii in eodem officio permansisse statuamus. Utut est, eo quo Velleius scripsit tempore a. 30 Apronius etiamtum in vivis videtur fuisse. Postea non commemoratur et ut Tiberii tempora effugerit, propter exactam aetatem diu ei superesse non potuit. Satis autem apparet L. Apronium et propter militarem industriam et propter fidem adversus imperatorem ab adulatione (Tacitus ann. 2, 32) non alienam inter principes aetatis Tiberianae viros locum conspicuum obtinuisse.

Praeter filias duas, quarum nupsit altera, ut modo vidimus, Lentulo Gaetulico consuli a. 26, altera Plautio Silvano praetori a. 24 (Tacitus ann. 4, 22), filium habuit L. Apronium Caesianum, cuius plenum nomen servant fasti Antiates (supra n. 6638) et acta Arvalium a. 39 (p. XLVIII Henzen). Meruisse eum a. p. C. 20 in Africa sub patre supra ex Tacito rettulimus, confirmantque carmina. Legatum eum patri in Africam ivisse adhuc viri docti statuerunt; iam vero cum ex carmine intellegatur filium pugnae eius tempore pueritiam vix egressum neque ullo magistratu etiamtum functum equitis Romani loco fuisse, non legatus patrem comitatus est, sed aut tribunus militum legionis ivit aut comes tantummodo et contubernalis. Septemviratum eum mox accepisse propter laudem bello sibi partam ex hoc titulo colligitur; scilicet cum propter aetatem magistratus capessere non posset, sacerdotio exornatus est (cf. Liv. 40, 42, 8. 42, 28, 43). Deinde a. 39 cum ipso imperatore Gaio fascis eum gessisse fasti Antiates et acta Arvalium docuerunt. Praeterea memoria eius non extat, nisi quod ad eum pertinere videntur quae Plinius tradit h. n. 11, 37, 213: *L. Aproni consularis viri filio detractos adipos levatumque corpus immobili onere.* Apud eundem quae nominantur *cerasa Aproniana* (h. n. 15, 25, 102) unde nomen traxerint, ignoratur.

Supplementa carminibus addita quamquam pro re ad verbum praestari nequeunt, rerum argumenta sententiarumque ordinem nexumque Buechelerus sine dubio ita adsecutus est, ut perpauca sint, de quibus iusta dubitatio supersit.

Primo carmine quatenus intellegi potest victoria de Tacfarinate celebratur in universum.

Secundo dedicatur aut praetexta sacerdotalis, scilicet ea quam primam induerat Caesianus septemvir epulo a Ti. Caesare creatus, aut ipsa Apronii filii effigies praetexta illa induti. Conferri potest quod ait Valerius Maximus 3, 1, 1: *Aemilius Lepidus puer etiamtum progressus in aciem hostem interemit, civem servavit, cuius . . . operis index est in Capitolio statua bullata et incincta praetexta senatus consulto posita, item nummus eam statuam proponens addito titulo M. Lepidus an(norum) XV pr(ogressus) h(ostem) o(ccidit) c(ivem) s(ervavit)* (röm. Münzwesen p. 634). — Utriusque fragmenti reliquiae quomodo coagmentandae sint, intellegitur maxime ex huius carminis v. 4, ubi inter se opponuntur praetextae duae puerilis posita et sacerdotalis sumpta.

Tertia pagina duo epigrammata continet, quorum altero filius dedicat effigiem patris una cum armis quae gessit in pugna illa Africana, altero pater filiusque effigiem Tiberii. — Ad v. 7 cf. Ovidius ex Ponto 4, 7, 38: *parsque fere scuti vulnere nulla vacat.* — Hastam ne quis contendat duci Romano parum convenire, Buechelerus haec adscripsit: *Quod in nummis Augustus hastam tenet ut Roma dea aliique, id fortasse non ad vitam institutum est, sed ad artem; nec plus tribuendum est poetae (Propertio 5, 6, 56) Augustum in pugna Actiaca sic facienti cum Apolline prorumpere: proxima post arcus Caesaris hasta fuit.* At monstravit mihi Kekuleius collega Traianum hastam iaculantem in hostem in arcus triumphalis hodie Constantini imagine (Bartoli admir. tab. 11; Rossini archi trionfali tab. 73). Ibidem (Bartoli tab. 18; Rossini tab. 71, 5) cernitur iuxta imperatorem stans dux Romanus, legatus ut videtur tribunusve, hastam tenens. In columna Traiani Froehnero teste p. 93 editionis minoris imperator hastam (*un javelot*) tenet, quam ut in oppugnatione castelli vix credideris hastam puram. Etiam Statius silv. 3, 2, 126 de Mettione Celere: *quid? fortis . . . iaculo, nihil aliud armorum adiciens.* Denique ut neget hastam inter legitima arma Apronii pueri fuisse, quamquam non negabit qui inspexerit monumenta illa, potuit gregario eam eripuisse et ita consummare tropaeum. — 10 in POSVI quid insit, satis adsequi non potuimus. Potuit hoc loco nominari dux Numidarum ab Apronio interfectus et in tabula scripta litteris pravis vocabulum aliquod Numidicum, ut est *Bocut* (sic enim Bogudis regis nomen nummi enuntiant), a Gualtero cum eo quod dedit confundi. Sed religioni fuit coniecturam tam incertam rerum memoriae inferre itaque id posuimus, quod ut fortasse non magis verum est, certe nocere non potest.

1) L. Apronius eques Romanus ex cohorte Drusi a militibus exercitus Pannonici a. 14 ad Tiberium missus (Tac. ann. 1, 29) ab hoc nostro omnino diversus est, ut recte observavit Nipperdeus ad h. l., cum contrarium statuant et alii et Henzenus (act. Arval. p. 177) nomine mutato tam contra codicem quam contra rationem.

2) Tacitus ann. 2, 32, quo refutatur, quod Nipperdeus pro Anteio Apronium Tacito ann. 2, 6 obtrusit.